

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Disputatio Controversistica qua Realis Ac Substantialis praesentia corporis & sanguinis Domini in Evcharistia

**Baldinger, Bernhart
Stucki, Johann Rudolf
Heidegger, Johann Heinrich**

1669

Caput VIII.

[urn:nbn:de:bsz:31-162645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-162645)

pus Christi Eucharisticum esse insensibile, hoc enim est sensibile per species panis, sub quibus continetur. Deinde falsum est, passionem Christi præteritam nobis esse sensibilem; quomodo enim res, quæ non est, sit sensibilis? Unde memoria nostra non præposterè, sed ordine ducitur per rem sensibilem, nempe per Sacramentale Corpus Christi, ad insensibilem eius passionem. Proinde verba Amesij sunt præpostera.

CAPUT VIII.

CATHOLICORUM DOGMATA
ti patrocinantur SS. Ambrosius, Cyrillus,
Cyprianus, Augustinus, Gaudentius,
& Eucherius.

NON satis mirari possum impudentiam Amesij, qui suum librum, quem scripsit contra invincibilem athletam Bellarminum ausus est nuncupare Bellarminum enervatū; & tamen præterivit, & æterno dissimulavit silëtio, quæcunque Bellarminus ex SS. Patribus libro 2. integro per 39. capita produxit. An transilire est enervare? Quod si
 enerv-

enervavit, exhibeat nobis exectos & Bellarmini corpore nervos. Nonne idem Amesius tom 3. Bellarmini enervati l. 4. c. 1. n. 21. respondet, cogise hoc in loco (de Evcharistiâ) proprium sensum dimittere, & admittere tropum, communi iudicio totius Ecclesiæ Apostolicæ ad annos à Christo sexcentos & amplius? Certè Amesius, dum enervavit Bellarminum, incidens in prædictum librum 2. Bellarmini, nactus erat pulcherrimam occasionem demonstrandi commune illud iudicium totius Ecclesiæ, producendo pro suâ assertionem auctoritates Patrum illius Ecclesiæ, & refutando obiectiones à Bellarmino 2. illo libro per 39 capita factas. Nos ex adverso, nostræ causæ non diffisi, proferemus in lucem auctoritates aliquot Patrum, ut ex ijs appareat commune iudicium totius Ecclesiæ Apostolicæ ad annos à Christo sexcentos & amplius.

Sancti Patres ad faciendam fidem & præparandos fidelium animos ad credendam panis & vini in corpus & sanguinem Christi transmutationem, re-

corunt
illam
rerum
nam
rit, qu
ceptu
que op
derit.
reponu
quipara
ibus ol
mant.
corlu.
sent t
quam
substa
S. A.
tiand.
video,
pus Ch
super
urim
esse, q
nedit
vimb
nedit
Vigam

curreunt ad Divinam omnipotentiam,
 & illam supernaturalem virtutem, quæ
 rerum naturas de novo creaverit, quæ
 unam substantiam in aliam converte-
 rit, quæ Beatissimæ Virgini in con-
 ceptu suæ prolis obumbraverit, aliâ-
 que opera supra naturæ ordinem edi-
 derit. Unde transmutationem illam
 reponunt inter miracula, ac eam æ-
 quiparant supernaturalibus mutatio-
 nibus olim factis, istisque illam confir-
 mant. Atqui non opus esset isto re-
 cursu, nisi Patres in Eucharistiâ agnovis-
 sent transmutationem substantialem,
 quam Romana Ecclesia appellat Tran-
 substantiationem. Ergo &c.

S. Ambrosius lib. de mysterijs ini-
 tiand. c. 9, sic ait: *Fortè dicas: Aliud*
video, quomodo tu mihi asseris, quòd cor-
pus Christi accipiam? Et hoc nobis adhuc
superest, ut probemus. Quantis igitur
urimur exemplis, ut probemus, non hoc
esse, quod natura firmavit, sed quod be-
nedictio consecravit; maioremque esse
vim benedictionis, quàm naturæ: quia be-
nedictione etiam ipsa natura mutatur?
Virgam tenebas Moyses, proiecit eam, &
facta

facta est serpens. Rursum apprehendit
 caudam serpentis, & in virga naturam
 reuerit. Vides igitur prophetica gra-
 tia bis mutatam esse naturam & serpen-
 tis & virga. Advertimus igitur, maio-
 ris esse virtutis gratiam, quam natu-
 ram: & adhuc tamen prophetica bene-
 dictionis numeramus gratiam. Quod
 si tantum valuit humana benedictio, ut
 naturam converteret, quid dicemus de
 ipsa consecratione Divina, ubi verba ipsa
 Domini Salvatoris operantur? Nam Sa-
 cramentum istud, quod accipis, Christi
 sermone conficitur. Quod si tantum va-
 luit sermo Elia, ut ignem de calo depone-
 ret, non valebit Christi sermo, ut species
 mutet elementorum? De totius mundi
 operibus legisti: Quia ipse dixit, & facta
 sunt; ipse mandavit, & creata sunt. Ser-
 mo ergo Christi, qui potuit ex nihilo face-
 re, quod non erat, non potest ea, quae sunt, in
 id mutare, quod non erat? Non enim mi-
 nus est, novas rebus dare, quam mutare
 naturas. Sed quid argumentis utimur?
 Suis utamur exemplis, Incarnationis quoque
 exemplo astruamus mysterij veritatem.
 Numquid natura usus praecepsit, cum Do-
 minus

minis
 ordi
 gener
 quod
 ravin
 ex Vi
 ram
 gine
 no arg
 probat
 nistia.
 causan
 ses, E
 reru
 minu
 turas
 efficie
 tione
 vitre
 potes
 3. a p
 est n
 ordin
 testes
 S. C
 Aqua
 vinum

minus Iesus ex Mariâ nasceretur? Si ordinem quarimus, viro mixta femina generare consueverat. Liquei igitur, quod præter naturam ordinem virgo generavit. Et hoc, quod conficimus corpus, ex Virgine est. Quid hic quæris naturam, sit ipse Dominus Iesus parvus ex Virgine? Hactenus Ambrosius: qui trino argumentorum genere possibilem probat realem mutationem in Eucharistiâ. 1. est à minori ad majus quoad causam efficientem, hoc modo: Moses, Elias, Elisæus mutârunt naturas rerum: ergo à fortiori Christus Dominus potest in Eucharistiâ mutare naturas panis & vini. 2. ab identitate efficientis & paritate effectûs, hac ratione: Sermo Domini ex nihilo creavit rerum naturas: ergo idem sermo potest mutare easdem naturas rerum. 3. à paritate modi, sic: Corpus Christi est natum ex Virgine præter naturæ ordinem: ergo idem corpus fieri potest ex pane præter rerum ordinem.

S. Cyrill. Hier. catech. 4 ita loquitur: *Aquam aliquando Christus mutavit in vinum, quod est sanguini propinquum, in*

D

Canâ

Canâ Galilæa solâ voluntate; & non eris dignus, cui credamus, quod vinum in sanguinem transmutavit?

S. Cyprianus de cæna dicit: Panis iste, quem Dominus discipulis porrigebat, non effigie, sed naturâ mutatus, omnipotentia Verbi factus est caro.

S. Augustinus l. 3. de Trinit. c. 4. asserit: Quod Sacramentum Evcharistiæ cum per manus hominum ad illam visibilem speciem perducitur, non sanctificatur, ut sit tam magnum Sacramentum, nisi operante invisibiliter Spiritu Dei.

S. Gaudentius tract. 2. de Exod. ita habet: Ipse naturarum Creator & Dominus, qui producit de terrâ panem, de pane rursus (quia & potest & promissit) efficit proprium corpus: & qui de aquâ vinum fecit, & de vino sanguinem suum. -- O altitudo divitiarum sapientia & scientia Dei!

S. Eucherius hom. 5. de pascha, sic scribit: Ergo sicut ad nutum Domini precipientis repente ex nihilo subsisterunt excelsa calorum, profunda fluctuum, vasta terrarum: ita pari potentia in spiritalibus Sacramentis Verbi precipis virtus

&

Et ei servit effectus. -- Quid mirum autem est, si ea, quae verbo creare potuit, possit creata convertere? imo iam minora videtur esse miraculi, si id, quod ex nihilo agnoscitur condidisse, jam conditum in melius valeat commutare. Require, quid ei possit esse difficile, cui facile fuit, visibilia & invisibilia voluntatis imperia suscitare.

Notandum hîc est, Adversarios, quibuscunque verbis utantur ad amplificandam Sacramentorum excellentiam, nō tamen re ipsa plus tribuere Eucharistiæ, quàm Baptismo, imò quàm concioni, quorum officium est, juxta Adversarios, excitare vel alere fidem: idque non per aliquam efficientiam, sed merè objectivè. Audi Beza lib. de summ. rei sacram. q. 2. sic loquentem: Unde efficacia illa Sacramentorum? A Spiritûs Sancti operatione in solidum; non autem à signis, nisi quatenus externis illis obiectis interiores sensus moventur. Et Calvinus in antid. Conc. Sess. 7. c. 8. dicit, Sacramenta eodem modo in nobis efficere gratiam, quo efficit verbum Dei prædicatum. Et l. 4. instit. c. 14. §. 17.

D 2

Sacra

Sacramenta, ait, sunt nobis à Deo, quod ab hominibus rerum latorum nuncij vel artha in pactis sancientiis, utpote quæ à se quidem non largiantur aliquid gratis, sed renuncienti & ostendant. Et §. 18. utitur exemplo iridis & velleris Gedeonis. Sequitur ergo in sententiâ Adversariorum, quod Sacramenta & verba concionatoris eodem modo operentur, cum hoc solo discrimine, quod verba concionatoris adhibeantur auribus, & per auditum fidem excitent; Sacramenta verò incurrant oculos, & per visum fidem excitent, proinde Sacramenta, in illorum sententiâ, eatenus operantur, quatenus repræsentant objectum fidei.

Dices i. cum Stuckio in suis thesibus de missa, th. 4: Patres, quando transelementationem & conversionem fieri dicunt, non essentialem intelligunt mutationem, sed relativam, officij & usus respectu; ut panis desinat esse panis communis, & vinum desinat esse vinum commune: quia munus accipiunt repræsentandæ & obsignandæ passionis

sionis Dominicæ. Transubstantioni
ergo Papisticæ illi minimè favent.

Sed contrà est 1. quia Patres loquuntur de illâ conversione, qua panis secundum naturam mutatur, & qua ipsæ naturæ & species elementorum in Eucharistiâ mutantur; ut patet ex citatis Patrum testimonijs: sed per hoc, quòd aliquid accipiat munus repræsentandi, id nō mutatur secundum naturā, nec ipsæ naturæ nec species elementorum mutantur; nam hedera, eò quòd affixa ædibus repræsentet vinum vendibile, non mutatur secundum naturā, &c: ergo Patres non loquuntur de illâ conversione, qua panis accipit munus repræsentandæ Passionis Dominicæ.

2. Tunc natura, juxta S. Ambrosium & receptissimum loquendi modum, dicitur mutari, quando vel una substantia convertitur in aliam substantiam, vel substantia transit à suâ innatâ qualitate physicâ ad aliam. Exempla primi generis sunt virga Moïsis in serpentem conversa, & rursus serpens in virgam: hinc ait Ambrosius: *Vides igitur bis mutatam esse naturam & serpentem*

D 3

pen-

pentis & virga. Item aqua in sanguinem,
& sanguis in aquam: unde rursus Am-
brosius: *Aquarum natura remeavit.*
Exempla secundi generis sunt, quando
aqua maris Rubri in murorum speciem
congelavit, & Jordanis retrorsum con-
versus est contra naturam, ut loquitur
Ambrosius, mox subjungens: *Nonne
claret, naturam vel maritimorum flu-
ctuum, vel fluvialis cursûs esse mutatam?*
ut alia taceam ab Ambrosio allegata.
Atqui in Evcharistiâ mutatur natura
panis secundum Patres: Ergo vel se-
cundum qualitates physicas, vel secun-
dum substantiam seu essentiam: sed
non secundum qualitates physicas,
quas utique sentimus remanere: ergo
secundum substantiam.

3. Patres sunt intelligendi loqui de
illâ conversione, cuius aliqualem sal-
tem faciunt mentionem: sed ipsi locis
citatis nullam penitus faciunt conver-
sionis relativæ mentionem: ergo de istâ
loqui non intelliguntur.

4. Si conversio Evcharistica consi-
steret in solâ relatione, qua panis &
vinum fiunt signa Dominicæ passionis,
Patres

Patres ad explicandam & persuadendam hanc mutationem non adducerent mutationes reales, qua una substantia transit in aliam, vel ab unâ qualitate physicâ ad aliam; sed morales, quas Struckius relativas appellat, utpote quæ rem aptius explicarent & persuaderent: nempe afferrent exemplum Iridis, quæ data fuit in signum Divini patris de non inducendo amplius diluvio; aut signum in rore & vellere datum Gedeoni de victoriâ promissâ; aut signum in umbrâ horologii datum regi Ezechix de sanitate divinitus recuperandâ: hæ enim relationes sunt multò accommodatiores ad explicandam & probandam Protestantium sententiam: unde ipse Calvinus illis utitur: Sed Patres illa non adducunt: Ergo secundum Patres conversio Evcharistica non consistit in solâ relatione.

§. Patres loquuntur de illâ mutatione, quæ est difficilis creditu; hac enim de causa adducunt creationem mundi, aliasque miraculosas mutationes, ut ijs probent Evcharisticam mutationem. Audi S. Ambrosium: *Fortè dicas:*

D 4

Aliud

Aliud video, quomodo tu mihi asseris, quod corpus Christi accipiam? Et hoc nobis superest, ut probemus. Quantis igitur utimur exemplis, ut probemus, non hoc esse, quod natura formavit? At mutatio, qua una res fit signum alterius, non est difficilis creditu: nam non est tanta difficultas credendi, iridem esse signum de non inducendo iterum diluvio, ut exemplis creati mundi & aliorum miraculorum sit opus: prout de facto nemo illis usus est ad probandum, iridem esse tale signum. Ergo Patres non loquuntur de mutatione relativa.

6. Nisi mutatio Evcharistica aliquid plus haberet, quàm relativa, profectò Patres eodem modo loquerentur de Baptismo, quo de Evcharistiâ: nam ille non minus habet officium præsentandi & obfignandi, quàm Evcharistia: Sed Patres nō loquuntur eodem modo de Baptismo, quo de Evcharistiâ; quis enim eorum dixerit: *Aqua Baptismi non effigie, sed naturâ mutata, omnipotentia Verbi facta est Spiritus Sanctus? Baptismus quippe Spiritum Sanctum præsentare dicitur. Quis ex Patribus*

ita

ita scripserit: *Qui virgam convertit in serpentem, & fluvios in sanguinem, is aquam Baptismi convertit in Spiritum Sanctum?* vel sic: *Qui ex aquâ fecit vinum, is ex aquâ in Baptismo facit Spiritum Sanctum?* Ergo in Evcharisticâ mutatione reperitur aliquid, quod in mutatione relativâ non reperitur.

Dices 2. cum Stuckio pag. 37. Falsum est, Patres, cum de transselementatione loquuntur, per omnipotentiam intelligere virtutem convertendi unam substantiam in aliam, de qua ne cogitârunt quidem. Nam etsi auditorum animos à symbolis ad rerum signatarum contemplationem attollere studeant, quæ omnium verbi Dei ministro- rum sunt partes, ipsa tamen symbola proptereâ per conversionem illam ex Evcharistiâ tollere noluerunt: unus enim præ alio commendatio non est exclusio alterius.

Sed contrâ est, quia falsum omninò & impudens est effatum, Patres non cogitâsse de virtute convertendi unam substantiam in aliam. Quid enim, quæso, putas cogitâsse illos, dum addu-

D s

cunt

cunt & inculcant conversionem aquæ in vinum, virgæ in serpentem, serpentis in virgam, fluvialium aquarum in sanguinem, &c. supernaturali virtute factam? Certè aqua, vinum, virga, serpens, fluvius, sanguis sunt substantiæ. Sed Patres cogitarunt de virtute convertendi aquam in vinum, virgam in serpentem, fluvios in sanguinem, quando hac de re scriplerunt: Ergo Patres cogitarunt de virtute convertendi unam substantiam in altam.

Dices 3. quod Stuck. subjungit, Patres loquentes de conversione, voluisse solum per hoc attollere auditorum animos à signo ad rei signatæ contemplationem,

At contra est: quia Patres expressè loquuntur de ea conversione, qua res ipsa mutatur & transit ab una natura in aliam; ac proinde sermo est de transitu reali obiecti, non verò de illa, qua mens auditorum transit à cogitatione signi ad cogitationem rei signatæ; qui est transitus mentalis. 2. quia Patres adducunt illas conversiones pro exemplis ad probandam conversionem panis in

in corpus Christi: unde Ambrosius :
*Quantis utimur exemplis, ut probemus,
 non hoc esse, quod natura formavit, sed
 quod benedictio consecravit ; maiorem-
 que esse vim benedictionis, quam natura:
 quia benedictione ipsa natura mutatur ?*
 Sed illæ conversiones à Patribus allatæ
 nō sunt accōmoda exempla ad proban-
 dā contemplationem : nam Exem-
 plum est argumentatio, in qua ex uno
 vel pluribus particularibus aliquid par-
 ticulare ob aliquam rationis paritatem
 colligimus : nulla autem est paritas in-
 ter illas conversiones & contemplatio-
 nem. Ergo Patres non loquuntur de
 contemplatione ; de qua ne COGI-
 TARUNT quidem. 3. Dic mihi,
 quomodo fit, ut Patres, quando lo-
 quuntur de Baptismo, non meminerint
 illius conversionis, cuius meminerunt,
 quando loquuntur de Evcharistiā ?
 Nonne in Baptismo æquē ac in Evchari-
 stiā reperire est symbolum, à quo ad rei
 signatæ contemplationem attollamur ?
 Hoc certē aliā de causā non fit, quā
 quia in Evcharistia intervenit ea muta-
 tio, quæ in Baptismo non invenitur.

Dices 4. cum Stuckio pag. 38. Mutatio relativa Sacramentalis Deum immediatè habet authorem: qua una res ita fit signum alterius, ut vocatione divinâ acceptâ, fidem nostram mirificè confirmet: hæc, inquam transelementatio, qua symbola ad usum fidei salutarem applicantur, Dei requirit omnipotentiam. Nam sicut Verbo, & Spiritu suo fidem in nobis potenter creat, ita per Sacramenta, eodem Spiritu operâte, fidem in nobis efficaciter auget & confirmat. Eiusdem enim virtutis est, fidem dare & datum augere & conservare. Hinc est, quòd S. Apostolus in amplificandâ Dei potentiâ, quam exerit in credentibus, sibi satisfacere nō possit, quando Spiritu sapientia nobis precatur, & illuminatos oculos mentis nostræ, ut capiamus, quæ sit excellēs illa magnitudo potentia illius in nobis, qui credimus, pro efficacitate fortis roboris ipsius, quam exeruit in Christo, quum excitavit eum ex mortuis. Eph. 1. 17. 18. 19. 20. Similia loca per multa adducere liceret, quibus potentissima Dei actio, quam in fide nobis dandâ & conservandâ, per Verbum

Verbum & Sacramenta exerit, ad hunc
potissimū finem ob oculos nobis ponitur,
ut efficacitatem illius potenter in
nobis agentem agnoscamus, & myste-
ria illa *φειντα* cum timore, id est, verā
cum humilitate suscipiamus, & dignē
celebremus. Ad hæc igitur loca re-
spexerunt Patres, quando tum in Baptis-
mo, tum in Evcharistiā magnitudinem
potentiæ prædicarunt, quam non in
substantiali quadam mutatione, sed in
usu & applicatione Sacramentali per
fidem consistere crediderunt.

Sed contrā est: Aliud enim est, quod
actus fidei requirat ad sui productio-
nem potentiam Dei; quod omnes ul-
trò concedimus: aliud est, quod mu-
tatio, quæ fit in pane Evcharistico, re-
quirat omnipotentiam Dei. Profecto
clarissima Patrum testimonia requi-
runt omnipotentiam ad mutationem
panis eo loci, non ad illum actum fidei,
de quo tunc ne **COGITARUNT**
quidem. Cyprianus enim asserit, pa-
nem (non intellectum) naturā muta-
tum, omnipotentiā Verbi factum esse
carnem. Et Ambrosius ait, sermone

Christi species elementorum (non intellectu credentis) mutari.

2. Fides non minus excitatur Baptismo aut concione, quam Eucharistia: sed Patres nec Baptismo, nec concioni tale quid tribuunt, quale Eucharistia: huius verò disparitatis non potest assignari alia ratio, quam quia Patres agnoscunt in Eucharistia aliquid peculiare, nempe mutationem realem panis & vini, quod non agnoscunt in Baptismo & concione.

Porro Patres, quando loquuntur de mutatione Eucharisticâ, respexerunt non ad illa Scripturarum loca, quæ imperitinerenter adducit Stuckius, sed ad illa, quæ enarrant creationem mundi, conversionem virgæ in serpentem, fluvialis aquæ in sanguinem, aquæ in vinum, & alias similes mutationes miraculosas, uti manifestum est ex litterâ.

C A P U T IX.

AFFERUNTUR TESTIMONIA

SS. Cyrilli, Ambrosij. Chrysostomi & Hilarij.

Patres laborant, ut persuadeant fidelibus, in hoc mysterio non esse credendum